

CCCLVI.

R. 3042 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 168. f. per duas columnas commode scriptus, rubricis distinctus, et prius *Monasterij S. Dorothee virginis et martiris Wienne canonicorum regularium*, hoc Rubrum praefert: *Liber aurelij Augustini de Cognicione vere vite per modum dialogi. Et quidem hic inter Augustinum et Fratres; alias vero inter Magistrum et Discipulos; rectius fane, nam Honorii Augustodun. Libellus est, ut bene docent Mauriani T. VI. Opp. August. in Monito praevio Append. col. 168. Init: Sapientia Dei que os mutum aperuit &c.*

Fol. 11. succedunt: *Sermones beati Bernhardi super librum qui per excellentiam dicitur Cantica canticorum. Hi Sermones, quorum initium: Vobis fratres alia quam alijs de seculo &c. saepius jam a nobis indicati hoc Exemplo LXXXII. sunt, ita ut ex editis T. IV. Opp. omn. Maur. col. 1267. deficiant quatuor, videlicet 70. 84. 85. 86. Textus satis castigatus.*

CCCLVII.

U. 276 Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 151. f. caractere luculento a variis, partim per duas columnas, partim lineis longis exaratus, rubricis distinctus, et quondam *Joh. Fabri Ep. Vindob. varia complectitur, quae ordine recensimus. I. quidem Incipit liber exortationis. Beati augustini.*

ad quendam amicum karissimum sibi. Ita videlicet: O mi frater. si cupias scire quamvis ego nesciam &c. De salutaribus Documentis ad quendam Comitem inscriptum restituerunt Mauriani Augustini Editores T. VI. Append. col. 193. Paulino Ep. Forojul. Sec. VIII. Scriptori, et vacillasse Librarium nostrum Rubrica, quam dedimus, partim extrita et refecta indicat. Abrupit ille mox Opusculum in verbis: nisi fiat in amore eius voluntas nostra. Immo nec hoc — —. Sed fol. 59. ad illud reversus usque ad fol. 81. integrum dedit, in cujus Rubrica nomen Augustini iterum a secunda manu rescriptum quivis observat. Seculo igitur XII. Exemplaria Paulinum, aut quemvis alium ab Augustino praeferebant non defuisse videntur.

II. fol. 2. *Incipit epistola Hincmari. Remensis archiepiscopi. ad Karolum Regem. Domino Karolo Regi Gloriosissimo hincmarus Nomine. Non Merito Remorum episcopus ac plebis dei famulus. mitto vobis sicut iussistis epistolam beati gregorii ad regaredum regem wisigothorum &c. Retuli jam Vol. I. P. 2. col. 2292. bina Tractatus hujus epistolaris de cavendis Vitiis et Virtutibus exercendis Exempla ad Carolum Calvum. In praesenti Codice non nisi Gregorii Epistola, et Peroratio: Hec Rex Clarissime atque carissime accepta opportunitate &c. minio distinguuntur, reliqua indivisa decurrunt, neque notabiliter differunt ab Edit. Jac. Sirmondi Opp. Hincmari T. Poster. Paris. 1645. p. 29. f.*